

III.
NEOVIDENSIS

Nro 19. (*Neovidensis* 1805. Nro 15.)

Ex campis Elysiis
Sermo Politicus
De Curiositate.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 5. Martii 1805. (Neov. 19. Febr.)

Propositio :

Ne sutor ultra crepidam.

Antiquum hoc proverbium jam multas peragravit provincias, & urbes, atque in nonnullis insignem præstitit usum. Jam Latini monebant, ne sutor ultra calceum, aut crepidam evagaretur, sed, ut quisque in arte, quam novit, se exerceat.

In hac vita, sua cuique homini est crepida, quod idem est: sibi certum delegit vitæ genus, quod ei vitæ alimenta subministrat, vel quo in societate humana ab aliis distinguitur. Plerumque tamen fit, ut homines non ita sint solliciti de suscepto negotio, ex quo vitam tolerant, quam de rebus alienis; quisque ita est comparatus, ut semper conetur majorem, & majorem veritatum cognitionem adipisci; sentit se impelli, ut, quod alii faciunt, licet ad se non pertineat, expiscetur, vel inquirat in res, quæ ejus statui, in quo eum providentia collocavit, nullam adferunt utilitatem: De rebus peregrinis, quæ sæpenumero non intelligit, vult sermones miscere, tali merito potest oggeri: Sutor non ultra crepidam.

Attamen maxime rixosi, & intolerabiles sunt hodierni sapientiæ scrutatores, qui sine experientia, & examine mera verba venditantes, quidquid iis proponitur, disputando refellere adlaborant. Recedunt hi a crepida, quam nos miseri profani tenere cupimus, & ducunt nos in æthereas superuarum regionum arces, ubi stricto gladio, quemadmodum olim Eques de Mancha, verberant aerem, consecuturi gloriam fortitudinis, ac magnanimitatis.

Quidam conspicuus Germaniæ scriptor affirmat, nostræ ætatis Philosophiam non esse lumen veritatis, sed ducere homines in obscurum labyrinthum: namque illa juvenum mentem plus perturbat, quam flectat, magis obscurat, quam illuminet & generatim a suo scopo toto coelo aberrat. Cujus rei hanc potissimum assignat rationem, quod cathedris philosophicis plerumque tales juvenes viri fuerint præfecti, qui quidem sufficiente sagacitate pollebant, verum præcoces, & artificiosi fructus præmaturi ingenii videbantur; qui defectu mediocrum vivendi ad edenda opuscula permoti, exquisitis verborum, ac sententiarum flosculis, omnino non mediocrem gloriam, & etiam copiosos asseclas sunt nacti, at vera viventium hominum cognitione destituebantur, ob quam juvenis eruditus ex solis libris doctus, viro experientia probe subacto longissimo intervallo postponendus est, viro, inquam, qui solus theoreticas Philosophiæ dissensiones ad practica n unionem reducere novit, & veram atque utilem vivendi rationem fervidis auditorum animis, quorum attentionem sicca, & jeuna verba diu tenere nequeunt, cum emolu-

mento proponere, & instar Socratis Philosophiam de coelo — transcendentalis Speculationis deorsum in conspectum mortalium detrahere scit. Juvenis homo, inquit ille, potest quidem Philosophica systemata intelligere, non item utilia earum consecutaria: vitæ prudentiam, & sapientiam ex libris condiscere, hæc enim inde nequaquam hauriuntur, ad id necessaria est perpetua cum omni genere hominum consuetudo: Hac de causa meri librorum Philosophi hanc meliorem scientiam cum juvenibus nunquam communicabunt. Profecto ipse eorum antecessor, & Magister, venerandus Kantius accurata hominum cognitione, quæ ex omnibus ejus scriptis elucet, non minorem sibi comparavit venerationem, quam subtili idearum explicatione. Successores autem illa non tantum sæpe carebant, sed eo etiam profundius immersi sunt in obscuritates Speculationis; quisque fere luci publicæ comisit suum ingenii partum, quem Philosophiam dixit, sed quæ ab omnibus aliis ita discrepabat, ut in hac præstante scientia confusio enata sit. Hi Philosophi conferunt inter se idiomate peregrino res prorsus novas, & inauditas; quid quid eorum sententiæ adversatur; rejiciunt, propugnantes ante eorum Philosophiam nullam aliam hactenus extitisse, quasi vero pertot sæcula genus humanum sine ratione vixisset! Qua in re nimis alta opinio de se, & sua scientia complures adeo occupavit, ut se infinitum finitum suo intellectu assecutos gloriarentur, eosdemque spiritus juvenibus de cathedris tacite instillarent, unde hi sibi ipsis magis confisi, & ad futura minus parati ingrediuntur mundum hunc aspe

etabilem, ac si hos homines nunquam audivissent. Hi Philosophi, qui deberent collecta experientiae præcepta exponere, dissecant notiones rerum tamdiu, donec & a se ipsis, & ab aliis dissideant, & tamen arbitrantur se summam scientiarum, videlicet artem omnia demonstrandi argumentis a priori petitis, attigisse, quam ob rem magnifice se circumspiciunt. Verum hæc ostentatio jam est paupertas, quæ se ipsam arrodit, jam perspicacia, quæ cito exhauritur, jam cupiditas probam monetam spargendi, quin tamen venæ auri experientiae, necessariae ad augendum scientiae territorium occupatae sint; jam impotens conatus imitandi magnos Philosophos, qui ex thesauro late patentis scientiae, nec non experientiae certas quasdam propositiones extractas delegerunt, quæ norma sint cogitandi, agendique. Sine dubio si hoc studium pari cum cognitione, atque usu rerum conjungeretur, posset excellentes producere fructus. His etenim viris sæpe nec ingenium deest, nec felices animi dotes; sed quamdiu eo modo, quo hactenus, fuerit res tractata, hoc est: ut quis uno, alterove anno Philosophicas Prælectiones ab hoc, vel alio Professore in hac, vel illa Academia excipiat, horis autem subcisivis complura recentium Philosophorum opera pervolvat, aliquam dissertatiunculam speciminis loco Ephemeridibus inserendam curet, deinde aliquot chartæ plagulas lingua peregrina, huic philosophandi methodo minime accomoda conscribat, & de contentis ibidem positionibus cum adversariis a se ipso delectis aliquot horis disputet, quin aliquid deicidatur, aut ut se ipsos tantum mutuo intelligant;

quamdiu denique, ut quis a quapiam secta in aliquo Recensionis instituto tanquam membrum agnoscat, defendaturque, in certa principia cujusdam Ordinis publice jurat, quamdiu, inquam, aliquis vix habens plenitudinem ætatis apud Romanos usitatam, jam in numerum Philosophorum recipitur, ut mundum doceat, tamdiu hæc exoptanda foecunda messis in sylvescente Philosophiæ agro a lolio egoismi, & arrogantiae in herba suffocabitur, & a grandine argutarum, novorumque systematum immisericorditer concutietur, etsi alias mundus sollicitate conetur omnia ad majorem adducere utilitatem, ac perfectionem. Itaque magis sunt expendenda verba Philosophi Kant, quæ in Collectione Rinkiana nonnullorum ejus adhuc ignotorum librorum pag. 56. ita sonant: Hanc difficultatem habet omnis institutio juventutis, quod cogamur intelligentiam ætatis prævertere, & non expectando maturitatem ingenii tales proponere veritates, quæ non nisi ab exercitato intellectu possunt comprehendendi. Hinc nascuntur perpetua scholarum præjudicia, quæ sæpe magis absurda sunt, & tenacius animis inhærent, atque vulgaria, & præproperea loquacitas novorum Philosophorum magis coeca est, quam quæcunque alia propria opinio, atque difficilius curatur, quam ignorantia. His præterea adjungenda sunt, quæ pag. 59. habentur: Quid est imponere orbi parata Philosophia, quam dicant, se in omnium utilitatem composuisse, quæ tamen fallacias tantum producat, & quidem tales, quæ in certo solum loco, & inter certas personas valent, alibi autem ubique reprobantur.

Hæc dicit ipse Pater Philosophorum Kantius. Cæterum observari meretur, Germanos illis temporibus, quibus eorum capita *Idealismus* nondam repleverat, inventionibus rerum novarum omnes alias nationes superavisse. Nimirum nemo tunc passus est se a sua crepida dimoveri, ut itaque etiam nos in sphaera ephemeridum permaneamus, juvat dare sequentem novam descriptionem Louisianæ :

Incolæ hujus ditionis maximam partem constant ex Gallis, suntque Religioni catholicæ addicti ; Hæc enim natio primam eo deduxit coloniam, quæ deinde Hispaniæ cessa est, ab hac autem nuperrime in Rempublicam Americanam translata. Principio hanc translationem ægre ferebant incolæ, male enim erant informati de republica Americana. A. 1802 in Louisianam proficiscentem Doctorem *John Sibley* requisivit Gubernator Clairborne, ut subsecutam Provinciæ cessionem incolis notam redderet, cui etiam successit, animos eorum mitigare. Ita autem in hoc negotio se fuisse versatum scribit in quadam epistola : Hominibus hic habitantibus ob oculos posui, eos, quamdiu sub potestate Europæorum fuerint tanquam merces esse considerandos, & ab una gente Europæa instar boum, & asinorum alteri vendendos ; præterea semper, cuicumque demum Europææ nationi fuerint subjecti, bello involvendos, & ab hostibus expilandos, Europæi enim perpetua gerunt bella, denique tristi experientia ipsis constare, quam parum auxilii sperare possint a suis Imperantibus, a quibus 4 vel 5 millibus milliarium distant. Tandem absque contemptu tamen Regiminis Gallici, & Hispanici expo-

suit iis mansuetudinem Imperii Americani. Hoc se non distinet determinata quadam religione, sed omnes protegit; promovet commercium. Agriculturam, navigationem, opificia, artes &c. Est potens, & paratum ad defendendos novos cives, neque habet opus eisdem vectigalibus onerare.

Nova Aurelia progressu temporis evadet celeberrimum Americæ emporium, hoc nos sperare jubet ejus situs ad ostia fluminis Missisipi per 40 milliaria diffusi: Jam hucusque notabilis quæstus est in hac urbe exercitus, unico enim anno inde a 1 Junii 1800 usque ad 1 Junii 1801, exportata sunt 60 millia vasorum farinæ; mille fascès lanæ, duo millia vasorum herbæ nicotianæ, mille quingenta vasa sachari, aliquot centenarii coloris indici, atque ingens quantitas pellium, & corii; hanc mercium evectionem diligentia Americanorum paulo post in duplo auget. Doctor Sibley præterea observat, in campestri regione Louisianæ ad colendum sacharum apta posse minimum 75 millones librarum sachari produci.

Negotia scholastica Francofurti ad Manum.

Die 13 Febr. in hujus urbis Calligraphiæ, & Arithmeticæ Instituto, in magno Zimmermaniano conclavi, præsentibus mille hominibus, habita est sexta distributio præmiorum. Ex collatione membrorum, quæ ex præcipuis Civitatis mercatoribus, civibus, & opificibus componuntur, quotannis instituuntur 12 pauperes, attamen habiles civilis conditionis proles in arte scribendi, & numerorum, quæ cum reliquis discipulis mensibus: Januario, & Februa-

rio de præmio obtinendo decertant, suaque in hunc finem scripta decisioni submitunt. Hoc laudabile institutum dignum est, ut alibi etiam in exemplum sumatur; Scribere enim, & numeros subducere magis necessarium est, quam scire delineare, pingere, & quam aliæ artes.

Et re ipsa complura circumjacentia loca jam sequuntur hoc exemplum, propositis per Magistros præmiis accendunt juvenes ad diligentiam, qui etiam sua scripturæ specimina pro approbatione horum transmiserunt. Magister hujus Instituti, Joannes Fridericus Soldan, ex Comitatu Erbaccensi oriundus, jam in pueritia se Calligraphiæ, & Arithmeticæ addixit, tantosque fecit progressus, ut juxta plurimorum peritorum sententiam hoc sit in arte scribendi, quod fuit Mozart in legibus musicæ.

Ejus formulæ scribendi jam ante plures annos sunt Londini æri incisæ, & in omnibus Americanis Germanicis scholis ad imitandum propositæ.

1) Distributio præmiorum facta est magna cum solennitate, personante ubique nervorum, & tibiarum cantu.

2) Ingens gaudium promicabat ex oculis omnium præsentium. Quanto autem solatio affecti fuerint Parentes, quorum proles ob diligentiam talibus præmiis, atque honore decoratæ sunt, illi ipsi optime meminerint.

3) Admiratione dignus fuit ordo, qui in tanta hominum multitudine observabatur; cum primis autem puellula, quæ longam, & bene elaboratam dissertationem de arte scribendi singulari cum animi præsentia dixit, omnium oculos, atque ora in se convertit, & multis lachrymas epressit.

4) Commemorari merentur duæ proles, altera Arcularii filius 12 annorum, altera Arcularii filia 13 annorum, his enim prima præmia obtigere.

5) Cum sine arithmetica, & scriptura fere nemo hominum ad aliquid eluctari possit, aut ad tractanda negotia adhiberi, & cum etiam modo ubique pulchra, ac legibilis scriptio desideretur, necesse est eo maturius proles in his exercere, quod experientia testetur summos Magistros jecisse fundamentum in prima juventute.